

II. Aufzeichnung des Dompropstes Nicolaus Huot über die
Schenkung seiner Salinengüter an die Hildesheimer Kirche.
1382, August 14.

Nicolaus Huot prepositus ecclesie
Hildensemensis.

Sequntur articuli pro informacione facti concer-
nentis translacionem bonorum salinarum factam sub
certis modis in ecclesiam Hildensemensem per me Ni-
colaum Huot prepositum Hildensemensem, que infor-
macio plures idecirco continet circumstancias facti, ut
ex illis eo melius quid iuris habeat Hildensemensis ec-
clesia per translacionem possit considerari et ne me
defuncto facilius evenire possit inpugnacio dicte trans-
lacionis propter ignoranciam facti et ipsius circum-
stanciarum.

Inprimis de illis, que concernunt acta circa bona
Hermannii Huot senioris patris mei a tempore mortis
ipsius usque ad tempus contracti matrimonii Jacobi
Huot fratri mei, sciendum, quod bone memorie Her-
mannus predictus pater meus tempore mortis sue fuit
oneratus multis debitibus, quorum nonnulla contracta
fuerunt intuitu bone memorie domini Johannis episcopi
Osnaburgensis fratri mei tunc videlicet tempore mortis
predicti patris mei adhuc viventis. Jacobus autem
predictus debitibus se inmiscuit et hereditati paterne et
ipsam hereditatem ac matrem nostram et Fredericum
fratrem nostrum ac sororem nostram Benedictam vi-
duam, que antea erat ab hereditate predicta tempore
contractus matrimonii separata, sed ad nos propter
mortem et infortunium mariti reversa, procuravit et
circa illa curam habuit et per aliquot annos nec
dictus dominus meus Johannes episcopus Osnaburgensis
nec ego inmisciimus nos hereditati seu de hereditate;
ego tamen hereditatem non repudiavi sed tacui quasi
deliberando nec scio, quod dominus Osnaburgensis